

C V D

A I G C

1 6 9 9

D. 4. 44

~~20 300~~

20 a

g. 2 g. 4/10
~~20~~ 199. X

STEPHANI ^d 5

POLONIÆ REGIS

LITERÆ AD ORDINES

Regni Polonici, de rebus

à se in bello aduersus

Moscas superiori

æstate gestis.

Anno 1580, Die 6. VII^{br.}

ad Vielikolum

scripta.



STEPHANUS

POLONIE REGIS

LITTERAS AD ORDINES

Regni Polonici de rebus

et in bello ductis

Molcos scriptis

et hinc gestis

Anno 1520. Die 11. Junii

ad Cracoviam

scriptis





STEPHANVS De

gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Lituoniaeque, Transylvaniae Princeps. Reuerendiss. Reuerendis, Magnificis, Nobilibus, Famatis, Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, Regni nostri Senatoribus: praeterea cuiusuis ordinis subditis nostris sincerè fidelibus nobis dilectis Gratiam nostram Regiam. Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici, Generosi, Nobiles, Famati, sincerè fideles nobis dilecti. Notum facimus, quàm libenter & decreta communibus Reipublicae comitijs geramus, & de rebus à nobis gestis, Sinc. & Fidel. vestras faciamus certiores.

Cùm superioribus proximis Reipublicae Comitibus placuisset bellum contra Moschoniae Ducem susceptum continuari: nihil praetermissimus, quod posset ad illud rectè atque ordine administrandum, & imprimis ad exercitus cùm veteres retinendos, tum nouos conscribendos pertinere. quibus omnibus postquam, vt ad Ciusniam (quo loco nos, & Russiae, contra iniurias Moschi, praesidio esse posse, & ad primarias alias atque alias arces hostiles, peropportunos aditus habituros intelligebamus) certo die conuenirent, edixissemus: Nos Vilna profecti, eòdem ad octauum Iulij mensis diem peruenimus. ac in primis frequentiore & Senatorum nostrorum & hominum militarium conuentu, de belli administratione & quò potissimum arma in hostem inferremus, ad concilium nostrum retulimus. in quo, etsi variae initio dictae sententiae fuissent: eò tamen descensum postea est, vt Vielikolum nobis cum exercitu ante omnia mouendum, eamque arcem omni conatu oppugnandam conluserimus: secuti quàm maximè cùm ipsam se-

riem & quasi tenorem gerendarum rerum, qui nos ex locis anno superiore proximo expugnatis, re recenti, Vielkolukum vocare & ducere visus est; tum Russiae defensionem, quam vniuersam, eò loci cum exercitu progressi, nos ab hostili vi tueri posse intelligebamus. Præterea Lucensis arcis situ, fama, ditionis amplitudine, vbertate (qua exercitus nostri sine ditionum nostrarum detrimento ali ac sustineri possent) opportunitate denique ad signa nostra penitus in hostilia loca inferenda, hostemque ad aliquam prælij dimicationem eliciendum, cæteraque deinceps ex Vielkoluko facilius promptiusque administranda adducti. Habito igitur exercitus nostri delectu, ex agro Ciusniciensi, Vitepscium profecti sumus: quo in itinere cum arces duas hostiles (Vielescium vnã, in Dunæ ripa Vitepscio ex superiore fluminis loco oppositam; atque alteram Vsuiatum, quæ ad amnem cognominem in Dunam fluium illabentem, & propius Lukum versus ferentem, sita est) exclusuras nos tormentorum & commeatus ad exercitus nostros supportandi commoditate accepissemus, & cæterò cum studium nobis esset Dunam flumen magis magisque ab hoste in potestatem nostram vindicare; quò res maiore celeritate conficeretur; magnificum Ioannem de Samaysczie Regni nostri Cancellarium, & cum ijs copijs, quas hoc in bellum nobis adduxit, & alijs additis, Vielescium oppugnandi causa præmisimus. qua ex arce cum vnus diei oppugnatione præsidium hostile feliciter deiecisset, nos ea potiti (præmissa primo agmine Lichuanicarum copiarum parte) Vsuiatum cum exercitu accessimus. locumque, munitionibus oppugnandi causa iam actis, metu potius admoto quam vi adhibita, deditioe cepimus.

Inde contractis in itinere copijs omnibus, quas duarum istarum arcium oppugnatio diuiserat, mouimus, & superata locorum inde ab Ciusnicia incredibili vastitudine
itinere

itinere (summo cum labore militum ac ingenti difficultate, qua Vsuatum, quâ Vielescium exercitus iuere, & per assiduas densissimasque sylvas) facto, Vielikolum progressi, ad arcem vigesima sexta mensis Augusti die castra metati sumus. quæ in castra cum id temporis ab magno Moschouia Duce legati ad nos venissent, nulla interposita mora eos audiimus. Verum cum à nobis, contra omnes nostras rerum gerendarum rationes, contraque dignitatem nostram, postularent, ut nos in Lithuaniam cum exercitu referremus, negarentque, nisi id ante omnia fecissemus, se per Principis sui mandata quidquam de ista legationis causa dicere posse; nos repudiata & postulationis indignitate & insidiosa tergiuersatione, non cessandum rati, eundem Ioannem de Samoyszcie Cancellarium cum copijs suis atratis, cæterisque, quas ad Vielescium habuerat, tum omni nostro peditatu Polonico atque Vngarico, trans flumen propius arcem castra alia facere, atque ibi curare iussimus: illaque ex parte nulla mora munitionibus, quibus visum est locis, actis, & quo oportebat perductis; ipsis Kalendis Septembris oppugnationem maiore apparatu ac conatu suscepimus, nihilque aut lenitatis aut terroris prætermisimus, aut oppugnationis non adhibuimus, quò integra arce potiremur. Verum cum & præsidiariorum summa esset loci retinendi pertinacia, & vltima sibi expectanda coniuressent, & arx (non modò loci natura in edito, planissimis circum locis, partim intra fluminis Louatij, partim intra lacuum complexus sita; nec tantummodò consuetis antehac Moschis parietum densissimorum contignationibus firma: sed aggere etiam densissimo ac latissimo & cespite extrinsecus obducto; tum, quâ flumen aut lacus non ambiunt, fossa maiore munitissima) omnino Polociam omni genere firmitatis superaret; adhæc præsidium validum, & Polociae aliarumque arcium propugnatione (è quibus à

A 3

nobis

nobis anno superiore impetrata salute discesserant) exerci-
tatum inesset, ut omnino sine maiore militum nostrorum
interitu ac diuturniore obsidione, si in instituto permane-
remus, expugnari non posse videretur: necessariò res nobis
incendio experiunda fuit. quod cum magna militum no-
strorum virtute & discrimine, primùm ex Vngarorum
peditum munitionibus illatum & hoste incredibilem in
modum restringente, sæpius per triduum repetitum atque
diutius altum esset, ut deinde ex altera etiam parte per
militem Polonicum & atratas illas cohortes (aggere ad pro-
pugnaculum maius ad ligneas usque substructiones suffosso)
nocte ante quintam Septembris diem maius conflaretur;
præsidium verò, quoad igni iam temperari nullo modo pos-
set, ab obstinatione hostili non discederet: factum est, ut &
arcem flamma, & quicquid propè hominum in arce fuit,
(per militarem iracundiam hostili, illa pertinacia, & ac-
ceptis in oppugnatione incommodis, et eorum, qui Polocia ac
ceteris ex arcibus iam antea occupatis impunè dimissi fue-
rant, hoc in loco ad hostilia reditu irritatam) quinta istius
mensis die prima luce deleuerit. Dum hac in oppugna-
tione versati sumus, Oratores magni Moschouie Ducis ite-
rum apud nos dicendi potestatem sibi fieri petiuerunt; qua
impetrata, cum ea exponerent, quæ honestè nobis & Reip.
paci, & sarcendis incommodis, quæ ab eo hoste accepta
sunt, minimè satisfacerent, leuioraque omnia, quàm no-
stra dignitas & iura Reipub. paterentur, proponerent:
ostendimus nos ad istiusmodi descendere non posse. cumque
illi alia mandata se hoc tempore non habere dixissent, &
à nobis peterent, ut dare ad magnum suum Ducem Mo-
schouie literas liceret, quibus eum de nostra voluntate atq;
conditionibus redderent certiolem; ne quid prætermisisse
videremur, quod ad spem iustæ honestæq; pacificationis fa-
cere posset, & nostras dedimus ad Moschum literas & Ora-
tores

cores dare suas permisimus: ad quas cum responderit, qua voluntate sit, certius fortasse cognoscemus. Nos hæc Sinc. & Fidel. vestras scire volumus. Cumque ea, quæ adhuc benè & feliciter gesta sunt, vni Deo, grata cum animi pietate, accepta referamus, parq; sit, vt illi beneuolenti & propitio & nos & omnes in Republ. nostra (ad cuius hæc utilitatem & laudem in primis redundant) gratias agamus: hortamur Sinc. & Fidel. vestras, ad ea omnia gratarum mentium studia, quæ supplicationibus, alijsque rebus, quoties benè gesta est Respub. suscipi consueuerunt. Quemadmodum hæc res porrò administranda, & hic locus nobis tuendus & retinendus sit, de hoc pro tempore consilium capimus. Quæ deinceps è Republ. geri à nobis hoc bello poterunt, in ijs studium, consilium, curam, operam omnem nostram libenter consumemus. Benè valeant Sinc. & Fidel. vestra. Datum ex castris nostris, ad arcem nostram Vielikolum, die Sexta mensis VIIbris. Anno Domini M. D. LXX. Regni nostri Quinto.

Ex literis, 18. Octobris, Regio-
monte Borussiae datis.

Regem Poloni nacli sunt virtute, sapientia, eruditione, magnitudine animi, & artibus belli præstantem; iusticiæ amantem; cædibus, libidinibus & alijs flagitijs insensissimum. Is cum hostem petiturus Vilnam veniret, proditorem ex Lithuanicis magnatibus quendam deprehensum, iudicio Lithuanicorum & Polonicorum Senatorum damnatum, capitis pœna affecit. Vilna egressus in hostem, mirabilem Dei præsentiam & tutelam expertus est.
Nam

Nam cum in Lithuanici cuiusdam principis villa perna-
claturus esset, & is Regi exitium pulvere bombardico stru-
xisset, eumque una cum adibus perdere cogitasset: frau-
dem nidor pulueris detexit: & Regem presenti periculo li-
beravit, & proditori meritas poenas attulit. Cetera quæ
consequuta sunt, malo te ex Regijs, quàm meis, cognoscere.

Vnum addo de clade quorundam Polonorum. Cum
victoriam Regis, prefectus Orsensis audisset, collecta suo-
rum manu ad 2500. Schmolenciam vsque excurrit.
Hostes arbitantes integrum regium esse exercitum, non
ausi sunt contra prodire. Interim Poloni, missa à Moscho-
rum Principe auxilia adoriuntur, fundunt, & præda
magna potiti Orsam repetunt. Verùm Moschi ex
captiuo, cognita nostrorum paucitate, inse-
quuntur, & nihil tale timentes opprimunt,
ita vt de toto exercitu vix 500. cum
Ducibus fuga Orsam elapsi sint.



154782

AB: 154782

ULB Halle


3

001 536 176



sb-796







STEPHANI

POLONIÆ REGIS

LITERÆ AD ORDINES

Regni Polonici, de rebus

à se in bello aduersus

Moscas superiori

æstate gestis.

Anno 1580, Die 6. VII^{br.}

ad Vielikolukum

scripta.

